

Pius II. an Ks. Friedrich III. Er übersendet ihm zeitlich verzögert die gegen Hz. Sigismund erlassene Bulle, rechtfertigt sein Vorgehen und fordert den Kaiser auf, noch vor Weihnachten die Grafschaft Tirol in seinen Besitz zu nehmen.

Kopie (gleichzeitig): BERNKASTEL-KUES, StiB, Cod. Cus. 221 p. 146f. Über dem Text: Domino imperatori in forma brevis missa per famulum Servacii.¹⁾

Erw.: Jäger, Streit II 113f. (mit deutscher Übersetzung).

Carissime in Christo fili. Salutem et apostolicam benedictionem. Licet nos celsitudini tue bonis respectibus inducti litteras nostras, quas in presenciarum mittimus²⁾, destinare distulerimus, certi tamen sumus omnia, que a nobis iusticia cogente legitimo processu de fratum nostrorum s. R. e. cardinalium consilio contra Sigismundum ex Austrie principibus solemniter et mature in previis acta sunt, ad tue maiestatis noticiam iam dudum multis ex partibus prevenisse.

Carissime fili. Superavit nos apostolicus thronus, in quo non nostro merito, sed omnipotentis dei dispensacione impares fulgori considemus, ut Sigismundum ipsum, quem mirum in modum semper, ut tua quoque amplissima serenitas novit, dilexeramus, lese maiestatis criminis anathematis, perpetue infamie, privacionis feudorum omnium, que successionis iure ab ecclesiis habuit, et denique bonorum confisacionis penas quamquam incredibiliter dolentes post longam, si resipiscens ad cor redire deliberaret, expectationem contumacem tandem declaravimus incidisse, prout verissime in ipsis nostris superius confectis litteris tuo splendori poterit patefieri. Nam quamvis Sigismundus horrendum sacrilegium et detestandum facinus, cuius in memoria hominum non exstat exemplum, in nos et universalem ecclesiam et ipsam quoque imperatoriam tuam maiestatem perpetrare contra tanti viri personam s. R. e. cardinalis et tue celsitudinis studiosissimi ac obsequentissimi non exhorruerit, nos ipsi tamen canonum et sacrarum sanctionum tremendam in huiusmodi sacrilegos et nepharios vindictam et penam, quanta potuimus mansuetudine mitigavimus ad veniam inclinaciones quam supplicium, si miserabilis iste, qui in tantum scelus sese turbulenta insanis precipitarat, ut debeat, humiliter supplicasset, auxiliantis misericordie nostre manu sublevari, quod, quia vel cecus vel obstinatus contempsit, sua illum dampnet pervicacia.

20 Nos, cum nostra iusticia tum maxime tua et excusat et laudet celsitudo, presertim cum, ut maiestas tua perspiciet, sicud malam radicem de splendidissima Austrie domo amputare coacti sumus, ita etiam candidissimum cespitem illesum ut conservaremus, mira moderatione curavimus. Insuperque imperii tui sublimitatis et dilecti filii nobilis viri Alberti archiducis Austrie³⁾, fratrī tui, iura illibata custodivimus, ex quo clarissime ambo potestis intelligere mentis nostre esse desiderium, quod comitatus Tirolis cum ei adiacentibus rebus ad alienas manus non perveniant. Si per vos in exequenda nostra sentencia, que necessaria est, adhibebitur diligencia, perspicit sane tua celsitudo huius sedis fastigium exposcere iusticiam, in qua omnis amplitudo, humana pariter et divina, conquiescit, et, ne in scandalum et improperia labatur insollicite, provisione curare, a quibus illesa servari non posset, nisi, quod iuste prolatum est, et ipsa sentencia declaratam effectus debiti habeant execucionem.

30 Rogamus igitur maiestatem tuam, ut ita te contra primum pares et accinges, quod infra Natalis domini festivitatem proxime futuram, ultra quod tempus differre non est fas, dicti comitatus et ceterorum salvis semper ecclesiarum iuribus et privilegiis possessionem habeas⁴⁾, ad quam facilius obtinendam nos ipsi quicquid favoris a nobis poposceris prompto tibi animo imparciemur. Quod si tuam serenitatem et fratrī tui nobilitatem vel tergiversari vel hoc negligere adverteremus, quod quidem nullo modo futurum credimus, de curso eo tempore omnia, que Sigismundus ad huc occupat, iusticia urgente in predam cogemur occupantibus publice concedere. Quando quidem eam necessitatem hec Petri cathedra nobis imposuit, ut non que vellemus, sed que iusticia exigit, impellamur adimplere, cuius honorem, quia tuam celsitudinem certi sumus maiorem tuorem imitacione semper eciam illibatum conservaturum fore, non ambigimus, quod has nostras litteras benigne interpretando ea facies, que simul imperiali solio et pontificali throno sapientissime cernes expedire et nobis non tantum litteris, sed pocius votivis execucionibus in iusticie favore et execuzione respondebis. Datum Senis sub annulo piscatoris die x septembbris m^o cccc^o lx^o pontificatus nostri anno 3^o.

20 tua¹⁾: em. tue. 23 illibata: em. illabata.

¹⁾ Wohl ein Diener des Servatius Regis; s.o. Nr. 6246 Anm. 1.

²⁾ Offenbar übersandte Pius II. dem Kaiser erst jetzt eine offizielle Ausfertigung der Exkommunikationsbulle Nr. 6281. Vermutlich schickte der Papst auch eine Ausfertigung der Rechtfertigungsbulle Nr. 6305 mit, deren Original sich noch immer in Wien befindet.

³⁾ Erzbz. Albrecht VI. von Österreich.

⁴⁾ Vgl. den Plan Pius II., das Hochstift Brixen unter päpstliche Verwaltung zu stellen; s.o. Nr. 6288f., 6293f.